

QUIBUS NON LICET DARE
ECCLESIASTICAM SEPULTURAM.

TITULUS NONUS.

SUMMARIUM.

- 1 Parocho solo competit Jus sepeliendi.
- 2 Parocho spectat cognoscere quibus deneganda sit Ecclesiastica sepultura.
- 3 Paroehus qui peccaret in hac scientia, incideret in excommunicationem.
- 4 Nomine sepulturae veniunt multa.
- 5 Quinam dicantur temere incurrere in Clementinam?
- 6 Opiniones variae circa hoc.
- 7 Sententia tutior est, quod soli mandantes incurrant.
- 8 Primus qui sentiat censuram, est Parochus assistens.
- 9 Debet tamen practice scire, quod qui est humandus, sit excommunicatus.
- 10 Praesumptuosi etiam ab ingressu in Ecclesiam interdicuntur.
- 11 Ecclesia subjacet interdicto.
- 12 Quando tamen excommunicatus notarie esset talis.
- 13 Quam longe ab Ecclesia humandi sint excommunicati.
- 14 Qui incurrit excommunicationem, propriis manibus exhumare debet Cadaver.
- 15 Pagani quinam sint? Non baptizari, et Judaei.
- 16 Communicatio cum Infidelibus quid significet.
- 17 Haeretici non gaudent Ecclesiastica sepultura.
- 18 Apostasia quid sit, et quinam sint Apostatae?
- 19 Schismatici arcentur ab Ecclesiastica sepultura.
- 20 Schismatici quinam dicantur.
- 21 Publice excommunicati non sepeliendi in loco Sacro.
- 22 Interdicti nominatim non sepeliendi in loco Sacro.
- 23 Interdictus non polluit Ecclesiam, si in illa sepeliatur.
- 24 In loco Interdicto nullus potest sepeliri.
- 25 Divina Officia cessant in loco, in quo excommunicatus sit sepultus.
- 26 Si difficilis sit exhumatio, locus reconciliandus.
- 27 Se ipsum occidere nemini licet.
- 28 Ut dicatur quempiam se ipsum occidisse, multa indagine opus est.
- 29 Insania, et furor excusantur.
- 30 In dubio praesumendum favore Defuncti.
- 31 Se ipsum occidens mente sana est privandus Ecclesiastica sepultura.
- 32 Morientes in duello privantur Ecclesiastica sepultura.
- 33 Duellum ampliatur ad Torneamenta, et ad Pugnam cum Tauris.
- 34 Morienti in spectaculis signa poenitentiae non prosunt.

- 35 Vulneratus ibi si supervixerit cum poenitentia, et moriatur, non gaudet.
- 36 Duellum est detestabilius Torneamenti.
- 37 Multa concurrere debent ad hoc, ut dicatur verum Duellum.
- 38 Excommunicatio nihil limitat.
- 39 Spectatores duelli excommunicantur.
- 40 Licet apud Deum sint absoluti, tamen apud Ecclesiam non sunt.
- 41 Peccatores occulti non sunt arcendi ab Ecclesiastica sepultura.
- 42 Lex Charitatis id postulat.
- 43 Manifesti et publici peccatores quinam sint?
- 44 Signa Poenitentiae quatenam sint?
- 45 Signa Poenitentiae in publicis Usurariis non valent.
- 46 Haeredes Usuriariorum obligandi sunt ad restitutionem.
- 47 Usurarii carere debent sepultura Ecclesiastica, donec fuerint plene satisfactum.
- 48 Qui in fragranti crimine moriuntur, non sepeliendi in Ecclesia.
- 49 Adulter, et Adultera interfecti in actu non gaudent Ecclesiastica, sepultura.
- 50 Casus adducitur Ferrariae occursum.
- 51 Enumeratio aliorum publicorum peccatorum.
- 52 Contumaces in adimplendo Praecepto Paschali, non incurrunt excommunicatione.
- 53 Interdicuntur ab ingressu Ecclesiae, et ab Ecclesiastica sepultura.
- 54 Qui moritur antequam declaretur incursus, gaudet.
- 55 Infantes sine Baptismo computantur inter Infideles.
- 56 Et non sunt sepeliendi in loco Sacro.
- 57 Etiam si sint extracti a ventre Matris mortuae.
- 58 Si existant in Ventre Matris mortuae, cum Matre sepeliuntur.
- 59 In materia de sepulturis, quaestiones multae oriri solent.
- 60 Ordinarii consilium est attendendum.
- 61 Dubia in meliorem partem sunt resolvenda.
- 62 Appellatio non admittitur in his casibus.
- 63 Parochi ex se nihil resolvere debent in hac materia.
- 64 Episcopus nunquam potest allegari suspectus.
- 65 Semper est defensos Immunitatis Ecclesiasticae.

Kiremanus Lubecensis, in suo eruditissimo tractatu *de Funeribus Romanorum*, lib. 1. c. 2. in fine; Politiae Religionis Christianae tribuit, sublatum usum comburendi Cadavera, strenue laborantibus in eo Sanctis Patribus, ut ex Tertulliani scriptis videre est. Non enim congruum judicabat Ecclesia, ut dederetur per ignem, memoria Christi fidelium, quos omnes integros, et in perfecta corporis mensura, dignos volebat Ecclesiastica sepultura: nisi eos arcendo judicaret ob aliquam causam, quae a Fidelium communionem illos etiam mortuos separaret. Multae rationes sunt, propter quas non permittitur, imo prohibetur Fidelibus Ecclesiastica sepultura, quae omnes in hoc Titulo enumerantur, ut Parochis innotescant; ne id humano Cadaveri praebeant quod illi non debetur. Adeamus itaque Textum nostrum.

§. I. Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica sepultura ipso jure sunt excludendi, ne quemquam ad

illam contra Sacrorum Canonum decreta, unquam admittat.

1 2 3 Cum soli Parocho competat jus sepeliendi Cadavera Fidelium, ex dictis supra in antecedenti Titulo; ideo ipsi supra omnes convenit distincte cognoscere, quibus deneganda sit Ecclesiastica sepultura: licet ex privilegio, nonnullis Regularibus elargitum quoque sit hoc jus, Pignatell. *cons.* 73. n. 75. Scientia itaque Parochi oportet, ut in hoc sit eximia, quia si contra hoc statutum, et consequenter contra Sacrorum Canonum Decreta peccaret, graviter esset puniendus, et incidere in excommunicationem Clementinae primae *de Sepulturis*; cum hac tamen limitatione, quod ad hoc ut incurratur censura, debet hoc fieri temere, et praesumptuose.

4 Nomine autem Ecclesiasticae sepulturae, non tantum locus facer, venum etiam pulsatio Campanarum, Exequiae, Luminaria, Processiones, Suffragia, Missae, aliaque similia in Ecclesia Catholica pro Defunctis fieri consueta, intelliguntur: propterea cui prohibitum unum est, aut permissum; et alterum permissum, vel prohibitum esse censetur, Sacerd. Brixinen. *de Exeq.* c. 1. §. 12. pag. 276.

5 6 Quinam vero dicantur temere, praesumptuose sepelire, ut incurrant censuram Clementinae, non adeo clare definitur, nam plures sunt sententiae circa hoc, quas omnes diligenter refert Monacell. *d. T.* 3. tit. 1. form. 38. n. 5. 6. et seqq. Alii volunt dici inodatos hac censura illos, qui propriis manibus Cadaver deponunt in sepulturam. Alii sustinent, quod non solum Parochus, qui levat corpus cum suis Clericis, sed etiam deferentes Crucem, portitores Cadaveris, fodientes tumulum, levantes lapidem, et Consanguinei instantes, ut mortuus sepeliatur, pari passu censuram incurrant. Nonnulli distinguunt inter cooperantes, et mandantes, et facientes sepelire; et volunt quod soli mandantes, aut qui defacto corpus excommunicati, seu excludendi tradunt sepulturae, sint excommunicati: illi vero qui comitantur funus, aut cantant, vel deferunt Crucem, vel luminaria sub dicta Clementina minime comprehendantur.

7 8 Ex his sententiis, tutior, et in praxi sequentia videtur per Monacell. *d. l.* num. 7. quod sit tertia: semper vero stat, quod primus, qui hanc censuram sentiat, est Parochus, assistendo sepulturae ex Officio, tanquam habens jurisdictionem in actu illius operis.

9 10 Limitandum tamen est, quod ad hoc, ut quis incurrat, debet practice scire, Cadaver talis Personae esse inter prohibita nominatim: si enim hoc facere ignorantia etiam aliquo modo culpabili, vel ex gravi metu coactus, esset excusandus,

quia dicta Clementina ferit audaces, scientes, et praesumptuosos, ut patet ex illis verbis: *Qui propriae temeritatis audacia, scienter sepelire praesumunt.* Quae arguunt dolum, et temeritatem contrafacientis, ut tradunt Graff. *dec. aur.* p. 1. l. 1. c. 13. num. 94. Sayr. *de Censuris*, l. 2. c. 4. num. 10. Donat. *quaest.* 39. num. 5. et sequitur Monacell. *d. l.* num. 7. Qui autem sunt praesumptuosi, non solum Censuram Clementinae, sed et Interdictum ab ingressu Ecclesiae incurrunt vigore c. *Episcoporum, de privil.* in 6.

11 12 13 Nec solum isti incurrunt, sed Ecclesia in qua cadaver sepultum fuit, subjacebit Ecclesiastico interdicto simul cum suo Coemeterio, *ad text. in cap. consulvisti, de consecrat. Ecc.* Ciarlin. *Controv.* l. 1. cap. 26. num. 29. 30. quod intelligi debet quando vel Infidelis, vel Haereticus, vel Excommunicatus notorie esset talis, quia si esset occultus, non esset vitandus, et per ejus sepulturam locus facer non violaretur, c. *Sacris, de sepultur.* Laymann. *lib.* 5. c. 5. numer. 8. vers. 4. Ideoque satis erit, Cadaver dicti excommunicati, vel similis indigni, postquam notitia ad Parochum pervenerit, exhumare et ejicere extra locum Sacrum, si fieri potest, ut in *d. c. Sacris, de sepult. gloss. in d. can. consulvisti, de consecr.* Quantum longe vero ab Ecclesia, seu a loco Sacro humandi sint qui sepultura Ecclesiastica privantur, docet Samuel. *Tr.* 2. *contr.* 7. *concl.* 20. ubi ait: Ita longe ab Ecclesia sepelienda esse ista cadavera, ut Clericorum canentium voces inde minime audiri valeant, Abb. *in Sacris, num.* 3. *de sep.* Lavor. *d. n.* 66. c. 12. et alii. Ratio vere frigida, et insulsa.

15 Idem dicendum de Cadaveribus exceptis si exhumanda essent ab eodem, qui ea sepelivit, hinc patet intellectus *ad text. in cap. 2. de haeret, in 6.* allegat. a Sperell. *tit.* 2. *dec.* 106. num. 43. ubi Alexander IV. statuit, sepelientes hereticos, esse ipso facto excommunicatos, nec absolvendos fore, nisi prius *propriis manibus* publice extumulent, et projiciant hujusmodi corpora: cum enim propriis manibus id agere debeant, per Procuratorem facere nequeunt, ut habetur ibi per *gloss. in verb. propriis manibus*; quae tamen peculiarem reddit rationem petitam ex S. Paulo c. 6. *Rom.* ut nempe, sicut exhibuerunt membra sua servire iniquitati: ita exhibere debent illa servire justitiae. Et quod exhumatio hujusmodi propter illa verba, *propriis manibus* in textu apposita, per procuratorem fieri nequeat, tradunt communiter scribentes, teste Menochio *de praesumpt.* l. 2. *praes.* 21. num. 7. Et ante eum Jason *in l. si is, qui pro emptore, num.* 74. *ff. de usucap.* Sed ad enumerationem veniamus illorum, quibus deneganda est Ecclesiastica sepultura ad tenorem nostri Textus.

§. II. Negatur igitur Ecclesiastica sepultura Paganis, Judaeis, et omnibus Infidelibus, Haereticis, et eorum Fautoribus; Apostatis a Christiana Fide; Schismaticis, et publice excommunicatis majori excommunicatione; Interdictis nominatim, et iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante.

15 16 Pagani, sive Idolatrae, Turcae, et non baptizati, simul cum Judaeis veniunt sub nomine Infidelium: quapropter istis omnibus deneganda est Ecclesiastica sepultura, si noti sint, et tales communiter habeantur, eo quia cum quibus non communicamus vivos, nec defunctis communicare debemus, Sacerd. Brixinem. *dist. 9. de sepult.* §. 13. Sepultura enim est quaedam species communicationis in divinis, Ricciull. *de Infid.* l. 4. c. 60. num. 15. Ista communicatio non debet intelligi pro conversatione, et negotiatione cum ipsis, sed pro communione in religione, et fructu spirituali: nam sepultura, quamvis sit aliquid materiale, tamen respicit quid spirituale, scilicet quietem Animarum, licet a corporibus separatarum, et requiem corporum ad expectationem magni Judicii, Lavor. *d. l.*

17 Haeretici insuper non gaudent privilegio sepulturae Ecclesiasticae, nec pro eis orandum est, *Text. express. in c. sicut, extra de haeret. et ibi glos.* ubi variae poenae ponuntur contra dantes eis sepulturam Ecclesiasticam, et ipsa Ecclesia manet polluta quosque illorum corpora ab ea non expellantur, et reconcilietur, *c. Ecclesiam, de consecr. dist. 1.*

Praeter Haeticos, veniunt etiam Fautores, Receptatores, et Defensores illorum, ac eis credentes, Samuel. *d. Tr. 2. contrav. 9.* Nomine autem Fautorum veniunt legentes, et retinentes libros Haeticorum et dicuntur tribus modis, ex omissione, vel negligentia; ex cooperatione, et facto; item ex consilio, et verbis. Insuper tales dicuntur qui consilium, et auxilium dant Haeticis; qui laudant Haeticos, qui mutant Pecuniam, vel illis alimenta praestant: non vero ex hoc possunt dici Haetici, quamvis vehementer oriatur suspicio haeresis. Pariter dicuntur Fautores, Instruentes Haeticos ad selandam veritatem, quando fuerint examinati, et persuadentes ad negandum Haeresim, quam tenent: Item Fautores Apostatarum reputantur Fautores Haeticorum, qui Haeticos non revelant; Non vero tales dicuntur privatae Personae negligentes in fugandis, capiendis, et puniendis Haeticis: ubi vero possent corrigere, et revocare ab errore, et non facerent, inter fautores numerarentur. Demum tales dicuntur impediens Sanctum Inquisitionis Officium in punitione Haeticorum: eximentes e manu curiae Haeticum jam captum, et multo magis favore haeticorum, seu liberantes Haeticum captum, precibus, aut pecu-

nia, Supponentes se in manibus Curiae, loco Haetici, quem ipsa Curia quaerit capere, liberando verum haeticum: Receptantes Haeticum publice, et palam, sed animo eum occultandi: Visitantes Haeticos: Inquisitores, et Episcopi, innocentes dolose inquirentes, vel contra Haeticos procedere negligentes: imo isti sunt suspecti de Haeresi, et alii, quod affert magnus Farinaccius, in suo elucubratissimo Tractatu de Haeresi, *Capitibus, seu quaestionibus 178. usque ad 192. inclusive per totum*, ubi Doctrinas, et limitationes invenies, diversis casibus aptandas, cum quibus concludit, hujusmodi Fautores carere debere Ecclesiastica sepultura, nec pro eis orandum esse, *d. q. 92. §. 5. n. 40.*

18 Apostatae item sepultura carent Ecclesiastica: Cum Apostasia sit—Temerarius recessus a statu fidei, vel obedientiae, vel Religionis quam quis professus est se tenere: ideo Apostata nuncupari potest desertor a Fide, vel obedientia, vel Religione, quam professus est, Farinacc. *d. q. 183. num. 2. 3. §. 1.* Hinc merito veteres Christiani, eos, qui ab Evangelica Fide, quam semel professi fuerant, ad Paganismum, aut Judaismum defecissent, infami vocabulo Apostatas nominabant, quod scilicet a Christo, cui semel nomen dederant, ad Satanam, quem in lavacro Baptismi Sacrosancti adjuraverant, descivissent, Franc. Pegna *in add. ad Emirch. in director. Inquis. p. 2. q. 49, commentar. 74.* Ista separatio itaque adeo peccaminosa est, ut, quamvis in aliquo defferat ab Haeresi, tamen auget Haeresis deformitatem, Ricciull. *de jur. person. l. 6. c. 4. num. 1. et 4.* ideoque reputantur indigni Ecclesiastica sepultura qui in eam lapsi sum.

19 20 Schismatici insuper arcentur ab Ecclesiastica sepultura, et ii structissime, et proprie dicuntur, qui divisi ab unitate Ecclesiae Romanae conantur suos Episcopos, Presbyteros, et constitutiones facere, Ecclesiaeque Romanae constitutiones contemnunt, Farinac. *d. q. 184. num. 8,* et Ricciull. *dict. l. 9. c. 2. n. 7.* quia non habent claves Coeli, et omnino sunt extra Ecclesiam, et ab ejus unitate disjuncti, Bellarm. *l. 3. de Eccl. Milit. c. 5.* et alii.

Ut vere quis possit dici talis, requiritur quod antea habuerit Ecclesiae Unitatem; et propterea tales non sunt Judei, vel Infideles; quia nunquam Ecclesiae adhererunt; sicuti neque tales sunt subditi alicujus Principis laici, qui in rebus temporalibus recusant Judicium Papae, Ricciull. *l. 9. c. 1. num. 12.*

Aliam definitionem magis claram afferam pro explicatione hujus Paragraphi. Schisma est divisio, per quam quis ab unitate Ecclesiae se dividit, in quantum ea est corpus mysticum constans ex Universis Fidelibus, et Romano Pontifice tamquam Capite, prout a S. Thoma 2. 2. *q. 39. art. 1,* communiter explicant Doctores: Schisma ab Haeresi differt in hoc, quod here-

sis opponatur fidei directe, ejus evitatem negando; Schisma vero directe repugnat Charitati, scindendo unionem Ecclesiae, que in charitate consistit. Hinc omnis hereticus est eo ipso etiam Schismaticus, utpote per erronea dogmata ab Ecclesia separatus; sed non omnis Schismaticus est eo ipso Hereticus, quia non eo ipso, quod quis separat se ab unione, seu obedientia Ecclesiae, sectatur errorem contra fidem; quamvis postea non diu persistat Schisma absque heresi ut dicitur *Can. inter haeretic. 14. q. 3.*

21 Item publicis excommunicatis majori excommunicatione prohibetur Ecclesiastica sepultura. Est enim regula indubitata, ut alias diximus, quod excommunicatus denunciatus, vel publicus, et notorius Clerici percussor (sunt enim istae excommunicationes majores) moriens ante absolutionem obtentam ab eo, qui eum poterat absolvere vivum, vel saltem a Sacerdote in articulo mortis, etiamsi signa poenitentiae, et contritionis dederit, in loco Sacro sepeliri nequit, Textus est *in c. a nobis 38. de sent. excomm. Bonacina de Censur. disp. 2. q. 2. punct. 3. §. 3. num. 7. Sayr. de Censur. l. 2. c. 4. nu. 13. Passerin. de stat. hom. c. 1. de sepult. in 6. num. 52. Monacell. d. T. 3. tit. 1. form. 38. num. 12.* ubi reprobat quosdam Doctores, qui absque modificatione, absolute asserunt, quod excommunicati denunciati decedentes cum signis contritionis, et poenitentiae, possint in Ecclesia sepeliri, vel in loco Sacro: sed hoc intelligendum est postquam tales excommunicati fuerint post mortem absoluti in forma Ecclesiae, ut in Titulo *de Ritu absolvendi excommunicatum jam mortuum*, satis diximus. Signa enim Poenitentiae ad hoc non valent, sed ad hoc, ut superior cui talis excommunicatio erat reservata, possit post mortem eum indirecte absolvere, quem alias sine Poenitentiae signis non absolveret *c. Sacris. 38. de sen. excomm.* quae absolutio est necessaria, ut in loco Sacro sepeliatur, pro eo oretur, et suffragia celebrentur pro illius Anima, ut docent Sayr. et alii apud Monacell. *d. l. n. 13.*

22 Demum Interdictis nominatim, et iis, qui sunt in loco, interdicto durante, dari non potest Ecclesiastica sepultura. Igitur de Interdicto sermo habendus est. Interdictum est censura Ecclesiastica (ut diximus in Titulo de Sacramento Poenitentiae) per quam, inter alia, prohibetur participatio Ecclesiasticae sepulturae, *cap. non est vobis, 11. de sponsal.* et dividitur in Interdictum locale, et personale.

23 Si quis igitur ab hac censura innodatus sit, est ab Ecclesiastica sepultura arcendus: Sed si sepeliatur in illa, non polluit Ecclesiam, cum hoc sit in jure expressum, ut advertunt Sayr. *de censur. l. 5. c. 16. n. 22. Piringh. Jus can. l. 3. t. 40. num. 13.* Et sic in tali casu Ecclesia nulla indiget reconcilia-

tione, quamvis scienter sepelientes incurrant excommunicationem a Clementina inflictam.

24 Si vero locus interdictus sit, de consequenti venit, ut qui in illo habitant, non possint uti beneficio spirituali illius: et sic durante locali interdicto, ab omni jure Ecclesiasticae sepulturae prohibeantur, Monacell. *ibid.* sed fusius *in Praelud. ad. T. 3.*

25 26 Ultimum restat, ut dicamus de Cadavere excommunicati sepulto, sed non absoluto, quamvis dederit signa poenitentiae. Hoc non est necesse, ut exhumetur, sed poterit absolvi, et sic illud sepultum relinqui. Interim tamen, eo tempore, quo expectatur facultas absolvendi, et notum est ibi jacere Cadaver talis excommunicati non absoluti, nec locus pollutus reconciliatur, non poterunt in illo loco Sacro nec Divina officia celebrari, nec alia corpora sepeliri: unde si non possit sepultus excommunicatus statim absolvi, vel debet exhumari, vel relinqui locus ut violatus; quod ultimum non est ita facile faciendum: non enim debet Populus remanere privatus Divinis Officiis, et Ecclesiastica sepultura ob culpam alterius, ita Monacell. *d. l. n. 16.* cum Passerin. *de stat. hom. c. 1. de Sepult. in 6. num. 52.* Si vero corpus excommunicati ab aliis cadaveribus discerni, et separari nequeat, vel sit magnum periculum salutis, si moveatur foetor sepulchri, tunc erit saltem locus facer reconciliandus, ut tradunt Sayr. *de censur. lib. 2. c. 4. n. 11. Franc. de Eccl. Cath. c. 26. n. 175.*

§. III. Seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem dederint signa poenitentiae.

Descendit Textus a casibus universalibus ad casus particulares; et jam primo expositis quibuscumque ab Ecclesiae gremio separatis, venit ad praecipuos casus, ob quos potest dari, ut alicui deneganda sit sepultura Ecclesiastica: et primo ponit Homocidas sui ipsius.

27 28 In hac materia optimas controversias movet Samuel. *d. Tract. 2. contr. 4. per tot.* et ponit conclusiones satis notabiles. Se ipsum occidere nemini licet, *c. quibus 13. q. 2. c. placuit 23. q. 5. et alibi.* Sed multa indagine opus est, ut concludenter dicatur, aliquem se ipsum occidisse, et exhalasse Animam post vulnus, vel aliud sibi instictum, absque signo, contritionis, vel de se sibi mortem intulisse, ex desperatione, vel iracundia, vel industria, et non potius fuisse ab alio illi illatam mortem, vel hanc non provenisse ex justa causa, prout

esset metus, vel causa evadendi malum impendens, vel ex joco vel ignorantia praecipitii.

29 30 Excusatur tamen Insania, et Furor proveniens a morbo, quia in hoc casu Homo non est compos mentis, nec sui juris, et quidquid agit, vel patrat, non imputatur illi ad culpam si sit minus conveniens, *c. ex parte, de sepult.* In quocumque vero caso non omnino claro, semper vene sit, praesumendo ad favorem Defuncti circa sepulturam, cum sepulturae privatio sit poena gravis fidelibus imposita, ob mala voluntarie perpetrata: Nemo enim praesumitur delinquere nisi probetur, *leg. merito, ff. pro Socio, Socin. Vol. 2. cons. 51. Genuen. Prax. cap. 61. n. 20. Navar. cons. 7. Samuel. d. Tract. 2. contr. 5. concl. 2. num. 7. et 8.*

31 Quando vero minime ex insania, vel furore amorbo proveniente, vel ab alio, vel accidentaliter, haec mors illata probari potest: tunc proculdubio iste talis pribandus est Ecclesiastica sepultura, *ex c. placuit 23. q. 5.*

§. IV. Morientibus in duello, etiamsi ante obitum derint signa poenitentiae.

32 33 34 Valde rigorosa est praescriptio haec nostri Ritualis, sed admodum necessaria ad destruendam, et eliminandam corruptelam, quae totum Mundum Catholicum infestabat. Propterea Doctores, et Canones ampliaverunt nomen Duelli ad Torneamenta, et ad pugnantem cum Tauris in spectaculis, quibus si occurrat misere mori in tali pugna, signa poenitentiae nihil prosunt, et sepultura Ecclesiastica est interdicta, *ex. c. 1. et 2. de Torneamentis, et ex Constitutione S. Pii V. incipien. De salute. quae est 48. in ordine, edita anno 1567. et ex Concil. Trid. sess. 24. c. 19. de Ref.*

35 Inter doctores vero Hostiensis est prae caeteris terribilior; nam *cap. 1. extra, de Torneament.* astruit, quod etiam ubi quis vulnus lethale accepit, et postea super vixerit, ac poenitendo, receperit omnia Sacramenta, tamen perpetuo carebit sepultura Ecclesiastica ad aliorum exemplum, et terrorem: nam haec constitutio condita est in detestationem Duelli: ideo neque suffragari potest confessio Sacramentalis facta, nisi speciali modo Papa dispenset, *Conc. Trid. cap. 19. sess. 25. de Refor. verb. Careat.* Et saepius Sacra Congregatio ita declaravit, et ita observat Sacra poenitentiarum, qua in facultatibus absolvendi in casibus Duelli, de incuris, seu commissis usque ad diem receptionis litterarum, declarat, absolutionem non sur

fragari, quominus Ecclesiastica sepultura careant, si ex duello decedant: quod peritis Confessariis satis innotescit.

36 Similiter veniunt qui vel accipiunt vulnus, vel moriuntur in torneamentis *ex d. cap. de tornem.* ubi haec habentur: *Si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti poenitentiam non negetur, Ecclesiastica tamen sepultura, careat.* Tamquam duellorum usus est detestabilior usu Torneamentorum: quia in hoc vires ostentandi studium tantummodo apparet, et in duello, occidendi invicem homines.

37 38 39 40 Et licet ad hoc ut vere illa pugna, seu disfidatio appelletur Duellum formatum, multa concurrere debeant, nempe loci, horae, Patrinarum, Armorum, et aliarum rerum assignatio, nihilominus Constitutiones Summorum Pontificum clare loquuntur, et ampliant hanc poenam, illam extendendo non tantum ad committentes, vel provocantes, seu cooperantes, sed ad Duellum minus solemne, seu disfidationem, per allegat. a Samuel. *d. Tract. 2. contr. 8. concl. 3. num. 10. et concl. 8. n. 8.* ubi specificae in hanc poenam, quae latae, sententiae declarantur a Tiraquell. *in l. si unquam, verb. revertatur, n. 16.* declarantur incurrere etiamsi fuerint provocati, et qui concilium, et auxilium dederint duellandi, tam in jure, quam in facto, aut alia quaecumque ratione ad id quemquam suaserint: Nec non spectatores excommunicantur, et perpetuae maledictionis vinculo tenentur, ac perpetuo sepultura Ecclesiastica privantur. Atque hac poenae impositae a Jure sunt, quia sic morientes, nondumque absoluti ab excommunicatione juxta formam *cap. a nobis 2. de sent. excomm.* licet sint apud Deum fortasse absoluti, tamen apud Ecclesiam pro absolutis non habentur; et ideo in hoc casu conceditur, Sacramentum absque sepultura, ut magis consulatur vivis, quam mortuis, et alii terreantur, et ab his abstineant, cum viderint illos a pia Matre Ecclesia non amplecti, imo arceri, et in campis sepeliri, Samuel. *d. concl. 6. n. 20.*

§. V. Manifestis, et publicis peccatoribus, qui sine poenitentia perierunt.

41 42 43 Ex hoc inferitur, quod peccatores occulti non sunt Ecclesiastica sepultura privandi. Tum quia Lex charitatis id postulat ne occultum peccatum manifestetur; tum etiam quia decet actum publicae potestatis, gubernationis, et dispensationis exerceri secundum publicam notitiam, non vero secundum privatam scientiam Dispensatoris, vel Rectoris: alioquin perturbationes multae, scandali, injurae oriri facile possent.

Hic quaeri posset quinam dicantur manifesti, et publici peccatores; de his diximus in explicatione tituli *de SS. Eucharistiae Sacramento*: ideoque nihil hic habeo, quod subdam, nisi quod talibus peccatoribus manifestis neganda est Ecclesiastica sepultura, cum de eorum Poenitentia, et emendatione non constat, et publico scandalo prius non satisfecerint.

43 Signa vero hujus Poenitentiae, et emendationis esse possunt, si in mortis articulo se emendaverint confitendo, sive Sacramenta petendo, et alia, prout pietas, et cordis contritio suggeret. Ad probandum tamen, quod talia signa dederint Poenitentiae, sufficit unicum testimonium, *ex. c. qui. recedunt 26. q. 6.* quod est tamen intelligendum, quando peccatum non est occultum, sed manifestum, et publicum in Parochia; quoniam si dubium esset, aut occultum, contrarium est asserendum, quia tunc Ecclesiastica sepultura illi dari debet, non vero manifestare peccatum alterius occultum, Samuel. *d. Tr. 2. contr. 7. concl. 2. num. 4. et 5.*

45 46 Quamvis tamen signa contritionis, et Poenitentiae in aliquibus peccatoribus valeant, puta in Blasphemis, Incestuosis, Homicidis, et aliis, non per hoc valent in publico Usurario, quia licet Confessionis, Communionis, et Estremae Unctionis Sacramenta perceperit, tamen si usuras quas debet, et potest, non restituat, aut de restituendis, ipse, seu Haeredes sui non promittant, caveantque, Ecclesiasticae sepulturae tradendus non est, Sacerd. Brixin. *dist. 9. de exeq. et sepult. c. 1. num. 12.* Quod et diceudum est de omnibus iis peccatoribus, qui saltem in articulo mortis Ecclesiae reconciliati, quibus debent, et possunt, non restituerunt. Quod si statim fieri nequeat haec restitutio, et agnoscat Infirmus hanc veritatem, quod non remittitur peccatum, nisi restituatur ablutum, tunc coram Testibus severe praecipere debet Haeredibus suis, quatenus quam possunt citissime, talis, vel talis rei, pecuniae, vel Boni, restitutionem, sive solutionem facere velint, ac debeant. Vel si neque hoc tutum videatur, haeredes, saltem Testamento, aut eo jam confecto, et ocluso, per Codicillum, ad restitutionem quam strictissime cogantur, Parocho, aliisque bonae conscientiae Viris executoribus constitutis. In his tamen, et similibus, ita caute, et circumspicte procedatur, ne laesio famae, nec Confessionis, aut peccati occulti relatio directe, vel indirecte, subsequi valeat, Sacerd. Brixin. *de Sac. Eucharist. dist. 5. c. 6. num. 9.*

57 Alia, et quidem digna scitu, circa publicos Usurarios notat Samuel, *dict. Tract. 2. Contr. 7. concl. 16. 17. 18. a num. 34. ad. 38.* ubi notabile illud est, nempe licet Usurarii mandaverint restitui Usuras in ultima voluntate, tamen adhuc carere debent sepultura Ecclesiastica donec plene fuerint satisfactum: et si haeredes parati fuerint restituere, vel pro res-

titutione voluerint dare cautionem, adhuc etiam non sunt in Sacro humandi, *c. quamquam, de Usuris in 6.* Nam in peccato decesserunt. Igitur prius Haeredes, ad quos Bona pervenerunt, debent censuris compelli, ut pro illis satisfaciant. Manifestus autem Usurarius, est qui convincitur ex suis scripturis, vel ad hoc tenet publicam mensam paratam.

48 49 50 Veniunt etiam sub nomine manifesti, ac publici Peccatoris, sine Poenitentia defuncti, illi, qui in fragranti crimine mortui sunt, utpote Latrones, Fures, Blasphemi, Perjuri, et hujusmodi, quocumque modo mortaliter peccantes, in actu peccati violenta, vel subitanea sint morte correpti. Unde sepultura Ecclesiastica omnino privandus est qui in actu venereo peccaminoso, morbo correptus loquelam amisit, et postea mortuus fuerit absque signis doloris, et Poenitentiae. Pariter Adulter, et Adultera in fragranti crimine interfecti absque signis contritionis, et nullo fide digno attestante, haec ostendisse, Samuel. *d. Concl. 7. num. 15.* Quod servatum vidi de anno 1709. hic Ferrariae tempore Cl. Mem. Card. de Verme, Episcopi, cui cum denunciatum foret, quadam nocte occisos fuisse duos Adulteros in actu venereo, a Mario Foeminae repertos, et invasos, Foeminam omnimode, quae illico post inflictum vulnus expiravit, licet nomen Sanctissimum Jesu invocaverit, in Pomaerio ad Arcem sepeliri mandavit, nullo ritu Ecclesiastico adhibito. Vero autem adultero, quia per horas aliquot vulnere supervixit, et Sacramento Poenitentiae munitus obiit, Ecclesiasticam sepulturam elargiri, misericorditer indulsit.

Similiter Ecclesiastica sepultura circa illud tempus, negata fuit in quodam oppido cuidam Latroni, qui occisus fuit actu eodem, quo equos e Pascuis abigebat, ac uni illorum insidebat fugiendo, eo quia non praesumitur mori contritus qui moritur in crimine, *c. Fures, de furtis, ubi Abb.*

51 Nonnulli alii impenitentes Peccatores veniunt sub hac Rubrica, quos omnes enumerat S. Carolus, *in Act. p. 4.* Lavorius, Barbosa, Samuel, et alii Autores: Suntque publici, ac notorii clericorum percussores, nulla facta denunciatione seu declaratione: Clericus, vel Sacerdos qui in Ecclesiam excommunicatum admisit: Clerici concubinari: Meretrices, quae se exponunt publice lupanari, Scannarol. *de Visit. Carc. l. 1. c. 4. num. 35.* Concubinari, et Concubina simul inventi mortui: Raptores mulierum: Religiosi proprietarii: suspensi furcis, et mortui impenitentes: necnon et alii, pro quibus omnibus est eadem ratio adaequata, quia Ecclesiae non constat, eos ostendisse signa doloris, et actus poenitentiae fecisse per personam fide dignam.